SYMBOLA
DEAE PACIS
ANTIQVIS ROMANORVM NVMISMATIBVS
ILLVSTRATA

CVM AD
AESTIVAM
GYMNASII ELBINGENSIS
SOLEMNITATEM
D. IV. SEPT. MDCCLX
CELEBRANDAM
REIPVBLICAE PATRIAE
PROCERES
OMNIVMQVE ORDINVM
LITTERATOS VIROS AC HOSPITES

PRO
SVA QVEMVIS DIGNITATE
HONORANDVM
EA QVA PAR EST REVERENTIA CVLTV
ET HVMANITATE
INVITARET

IOANNES LANGIVS
ATHEN. RECT. P. P. ET BIBL.

ELBINGAE
TYPIS NOHRMANNIANIS.



Annus, in quo vivimus, ob ſolemnia pacis Olivenſis ſaecularia, quibus ſacer fuit, notatu digniſſimus: annus, qui Germaniae, aliisque Europae regnis ac provinciis, funeſtiſſimi belli incendiis hactenus expoſitis, gratiſſimam ſaepius pacis profligatae ſpem injecit: annus, inquam, praeſens dignus eſt, ut is quoque ex calamo Jeſaiae [a] favorabilis Jehovae vocetur annus; dignus, ut & in illo terra marique vox audiatur nuntiantis, ſignificantis pacem, praedicantis bonum, indicantis ſalutem, dicentis Sioni: regnat DEVS tuus. [b] Cum enim ea totius fere Europae, ut & reliquarum orbis terraquei partium ſit conditio, ut, quo modo cunque oculos convertas, nihil niſi minaces belli apparatus, agros occiſorum tumulis repletos, regiones omni rerum copia olim florentes, jam vero laceratas deſolatasque, civitates funditus everſas & ſolo aequatas, imo res cum publicas tum privatas concuſſas ruentesque, navigiis decumanos inter maris fluctus jactatis ac titubantibus ſimiles animadvertas: non mirum eſt, in omnium ore illud Maronis, Poetarum epicorum facile principis, eſſe votum, [c] ex tripode quaſi dictum: Pacem te poſcimus omnes!

Quanta enim luctuoſiſſimo belli tempore, in quo Martis furor, neglecto omni aequitatis, honeſtatis ac juſtitiae ſtudio, ſumma imis pervertit, oriuntur mala: tantam pax amoeniſſima regnis, urbibus, hominibusque promittit bonitatis ubertatem, tantum felicitatis cumulum. In eadem quippe ſuus religioni conſtat honor, ſua cultui divino dignitas. Sunt qui artibus liberalibus operam dant, ſunt qui earum dulcedine capti eas fideliter tradunt, ſunt qui easdem auctoritate, amore & patrocinio ſuo tuentur ac paterna nutriunt cura. Imo dum pace florente omnium ſocietatum ſecuritas promovetur felicitasque, non poteſt non, quin

a) c. LXI, 2. b) Jeſ. LII, 7. c) *Aeneid.* Lib. XI, v. 362.

commercia ubivis terrarum floreant, opes civium cuſtodiantur, theſauri congerantur, incolarum numerus augeatur, & virtutibus palaeſtrae pandantur utiliſſimae.

Quae pulcherrima pacis ſpecies paganos quoque in ipſius amorem, ac venerationem adeo rapuit, ut eidem, in coelitum numerum relatae, aeternitatem vindicarent, & omnia ſacrorum genera, non niſi Diis Deabusque digna, inſtituerent. Hinc illi in honorem Deae Pacis templum exſtruxerunt ſplendidiſſimum, d) aram aedificarunt fulgentem, e) & ſacrificia ſtato tempore Romae immolanda curarunt ſolemnia. f)

Sed ea non ultima gentilium ſuperſtitioſorum cura fuit ſolicitudoque, ut in ornandis Diis Deabusque cuivis eorum ſignum adderent, vel ex regno animalium aviumque, vel ab arte aliqua petitum, quo, quantum fieri poſſet, cujusvis naturam, officium aut perfectionem quaſi per ſymbolum aliquod indicarent. Jovi hinc, Principi Deorum, praeter aquilam, reginam avium, ſceptrum, regale ornamentum, & tonitrua fulguraque, majeſtatis divinae criteria adſignabant: Junoni contra, Jovis conjugi, vel haſtam, principatus ſignum, cum patera, vel facem, praeſidii partus edendi ſymbolum dicabant, pavone adſtante. Et ſicuti Neptuno, Deorum marinorum antiſteti cum acroterio tridens, Themidi, aequalia juſtitiae jura homines inter diſpenſanti, libra & gladius, Apollini, carminis auctori & Muſarum ac cytharoedorum praeſidi a Romanis lyra tribuebantur: ita alia ab aliis Diis Deabusque reliquos diſtinguebant ſymbola. g)

Quod vero ad Deae Pacis ſigna attinet characteriſtica, ea non unius fuiſſe generis, ſed pro diverſitate circumſtantiarum diverſam quoque induiſſe naturam, antiquitates loquuntur Romanorum.

Trans-

d) conf. *Sueton. in Veſp.* c. 9. *Herodian.* L. I. c. 14. *Plin.* H. N. Lib. XXXVI. c. 15.

e) vid. *Plutarch. in Cimone*, p. 487. edit. Franc. 1620. *Ovid. Faſt.* L. I. v. 709.

f) conf. *Ariſtophanes in Comoedia Pax inſcripta.* p. 943.

g) conf. *Ortelius, Pomeus, Chartarius* aliique antiquitatum Romanarum Scriptores, quos recenſet *Cellarius in Comp. ant. Rom.* L. I. Sect. I. §. 2. c) ex ed. Walchii. 1748.

Transeo, *ſpicam*, fertilitatis ac foecunditatis ſymbolum, in numo Antonini Pii h) Deae Pacis ornamentum eſſe egregium: quippe arma dum ſilent, aratro eo tutius terra ſcindi, ſaluberrima eo felicius promoveri ſeges, meſſisque eo certius colono promitti poteſt largiſſima. Qua propter Dea etiam Pax in numo Vitellii i) cum *cornu copiae*, vel ut in illo Veſpaſiani k) cum *patera*, abundantiae ſymbolo, ornata conſpicitur. Nihil dicam de *face* in Trajani, Antonini ac M. Aurelii numismatibus l) obvia, qua bello compoſito Dea Pax arma militaria, humi jacentia, incendit, flammaeque comburenda tradit. Neque *caduceo* illi immorari animus eſt, quo in numo Veſpaſiani m) Dea Pax caput ſerpentis adſibilantis, i. e. hoſtis infenſiſſimi, de quo jamjam ſuperato triumphum agit laetiſſimum, comprimere videtur. Imo ſilentii peplo involvam, *bovem* quoque teſte Begero n) ſymbolum pacis fuiſſe gratiſſimum: quippe hoſtibus expulſis ſoloque libero, colonis tutius jam licet terram arare, quiete ac ſecuritate gaudentem. Sed is modo ſcopus, ea mentis meae eſt intentio, ut illorum potius Deae Pacis ſignorum rationem habeam, quae in COLLECTIONE NVMORVM DEWITZIANA reperiuntur. o)

h) vid. *Oiſelii theſ. num. antiqu.* Tab. LXXIII. 4. p. 390.

i) add. *Begeri Reg. & Imp. numismata.* Tab. XXIV. 10. p. 40.

k) conf. *Jacobaei muſaeum regium*, Sect. V. *de numis variis.* p. 130.

l) vid. *Oiſelius* l. c. Tab. LXXII. 7. 8. 9. p. 389.

m) conf. die allgemeine Welthiſtorie, T. XIII. p. 144.

n) l. c. Tab. XXX. 3. p. 47.

o) Non ultimum Publ. Gymn. Elbingenſis Bibliothecae decus eſt ac ornamentum egregius ille numorum Grajorum, Romanorum, Germanicorum, Suecicorum, maxime vero Polonicorum, Pruſſicorum, aliorumque ex vario aere conflatorum apparatus, quem VIR SPECTATISSIMVS HONORATISSIMVSQVE DOMINVS *IO. HENR. DEWITZ*, Pharmacopola haud ignotus, & p. t. Advocatus, ut vocant, Secundi Ordinis Meritiſſimus, triginta annos magno ſtudio nec minoribus impenſis collegit, & menſe anni praeſentis Junio Bibliothecae benevole obtulit. Inſigne prorſus monumentum! Munus pretioſum, dignum omnino, ut in loco Gymnaſii publico poſteritati conſervetur, dignum, ut innatam Evergetae erga Athenaeum patrium remque litterariam ac numismaticam in apricum ponat propenſionem!

Primus, qui in illa oculis se nostris commendat, est iste Neronis, cujus altera facies caput Imperatoris modo laudati, corona laurea ornatum, cum inscriptione: NERO CLAVD. CAESAR AVG. GER. P. M. TR. P. IMP. P. P. altera vero *templum Jani* exhibet *clausum* cum epigraphe: PACE P. R. TERRA MARIQVE PARTA IANVM CLAVSIT. S. C. Quo in numismate signum utique ponitur pro signato, obseratum scilicet Jani templum pro pace ipsa, hactenus profligata, jam vero reducta, & gratissimis amoenitatis radiis omnia exhilarante. Sicuti enim Romanos, ad bellum ituros, Jani templum reserasse constat, quo omnibus pacem a Deo precibus exorandi ansam praeberent: ita parta eadem illud iterum obseratum fuisse, auctor est Suetonius. p) Janum hinc, Vologese Parthorum Rege victo & Armenia tandem a Corbulone feliciter subacta, a Nerone quoque clausum, inque rei istius memoriam hunc numum cusum fuisse, historiarum loquuntur annales. q)

Hunc excipit ille numus, qui pace cum Britannis aliisque devictis gentibus inita cusus, caput Vespasiani ostendit laureatum cum perigraphe: IMP. CAES. VESP. AVG. P. M. TR. P. COS. VIII. in cujus aversa parte Dea apparet Pax, habitu Romano matronali compta, stans, & sinistra manu *caduceum* tenens *alatum*, cum lemmate: PAX AVGVST. S. C. Quid enim generi humano, bellorum gravitate afflicto, laetius, quid acceptius esse potest, quam auspicatissimus ille de pace nuntius, per urbes, per regiones quam primum mittendus, quo inimicitia ac offensione omni seposita, consumatissimum bonorum genus mortalibus annuncietur, offeraturque.

Tertium Deae Pacis symbolum in numo deprehenditur Victorini, in cujus antica parte Imperatoris apparet caput, corona radiata cinctum, addita inscriptione: IMP. C. VICTORINVS P. F. AVG. in postica vero ipsa Dea, pileo, libertatis signo tecta, *hastam inversam* sinistra manu ad terram dirigit, addito lemmate: PAX AVG. Quid enim

p) in *vita Aug.* c. XXII. q) in *Nerone*, c. XIII.

enim juvat, pace jam ridente, armorum porro curam agere, eademque in ora hoſtium convertere; quin illa potius, hominibus deteſtata, in terram praeſtat projicere & flammis conſumere, aut, ut S. S. utar verbis, r) ex enſibus juvat vomeres, & ex ſpiculis falces excudere, ne gentes ulterius aliae aliis arma inferant, nec amplius, haſta jam converſa, bella diſcant ſanguinolenta.

Quartum quod in collectione Dewitziana Pacis deprehenditur ſymbolum, eſt, ut mihi videtur, *roſa*, quam ipſa Dea dextra tenet manu, cum epigraphe: PAX AVG. cujus altera facies Claudii caput exhibet radiatum, ſuper quod haec leguntur verba: IMP. CLAVDIVS AVG. Sicuti enim flores inter odoriferos roſa, regina omnium, principatum tenet: ita pax rebus in humanis optima, maxima, in tripudium ac laetitiam rapiens mortales, eorum animos ſuo afficit odore, delectat colore, ſuaque corroborat virtute.

Ultimum tandem Pacis occurrit ſymbolum, quod ſicut in priori Veſpaſiani numo jam obvium, ita & in illo, qui Gallieni caput, corona radiata circumdatum repraeſentat, additis verbis: GALLIENVS AVG. conſpicuum eſt, ſcilicet *oleae ramus*, quem Dea Pax dextra coelum verſus tollit, cum epigraphe: PAX AVG. Ex quo facile conjecturare licet, pacem etiam ex gentilium ſententia pulcherrimum DEI munus coelitus conceſſum, omnibus offerendum eſſe hominibus, ne ullum ſpes ac deſiderium ſalutis tam publicae quam privatae negata pace fallat. Inquirentibus vero nobis: cur falſorum Deorum cultores oleam pacis ſymbolum elegerint? non quidem opus eſt, ut ad Medicorum aut rerum naturalium indagatorum tranſeamus caſtra, ex iisdem rationem ſigni hujus petituri. Memores potius ſimus, in ſuperſtitioſa gentilium religione multa deprehendi, ex ſcriptis Moſaicis cultuque Iſraelitarum divino hauſta. Diabolum enim nullo non tempore DEI ſimiam, paganosque, cacozeliae deditos, ſtolidos Judaeorum fuiſſe imitatores, conſtat inter omnes. Cum ergo columbam, a Noacho ex arca emiſſam, eandemque reducem, ramum olivae ore

r) Jeſ. II, 4.

ore decerptum, reconciliati DEI teſtem, retuliſſe audiverint gentiles: illis quoque placuit, oleam pacis reſtitutae ſedataeque irae divinae ſymbolum eligere, laudare, venerari.

Sed abeat fictitia illa Romanorum Dea Pax! Deleantur & marceſcant illius ſymbola! Quippe vanitati atque umbrae corpus eodem omnino, quo nucleus cortici, praeferendum eſt jure. Hinc nos, puriori cognitionis rerum divinarum lacte imbutos, potius juvat, in his turbulentis & conclamatis mundi tempeſtatibus DEVM T. O. M. unicum concordiae ac quietis ſalutiferae venerari Statorem, Auctorem, Conſervatorem: juvat ſummis Illum defatigare precibus, ut Is, pacis Princeps, orbi chriſtiano, armis belligerantium adhuc expoſito, ſuam dare, ſuamque illi relinquere velit pacem.

Pacis hinc frugiferae praeſtantiam, utilitatem ac ſuavitatem commendare, eandemque more ſuo, i. e. erudite, terſe ac jucunde ex antiquitatum & hiſtoriarum monumentis illuſtrare allaborabit VIR PRAECLARISSIMVS DOCTISSIMVSQVE DOM. IO. DAN. HOFFMANN, GYMN. CONR. ET P. P. DIGNISSIMVS, Amicus noſter ſummopere Colendus in actu ſcholaſtico, craſtina die celebrando: quippe *legibus Gymnaſii praelectis, juventutisque translocatae luſtratione peracta*, nonnullos ex Coetu Diſcentium teſte nomenclatore producet optimae ſpei juvenes, *cogitationes de pace* cum Auditorio Splendido, Honoratiſſimoque communicaturos.

Quae ſacra ſcholaſtica ut cedant feliciter & ex voto omnium, VIROS ILLVSTREM, MAGNIFICOS, GENEROSOS, AMPLISSIMOS, CONSVLTISSIMOSQVE PATRIAE PATRES AC NVTRITORES, MVLTIS NOMINIBVS AETATEM DEVENERANDOS, ut & EXCEL. PLVR. REVERENDOS, CLARISS. PRAENOB. NOBILES, SPECTABILES, HVMANISSIMOSQVE FAVTORES ac AMICOS officioſe rogamus, ut eadem ſua dignari velint praeſentia, a DEO, quod mortales inter gratiſſimum eſt beneficium, indefeſſis ardentiſſimisque ſupplicationibus petituri, pacem ſcilicet ſerenam, ſemperque duraturam. P. P. Elbingae. D. III. Sept. MDCCLX.